

vitia & scelera impune graſſari nec patiatur, sed archite-
ctos illorum gravissimē puniat & plectat. Cum primis
det operam, ne avaricia stimulante à regia justiciæ via de-
clinet, & talium consiliorum auctores quamvis callidos,
quos injusticia exercet (apex namq; aliquis injusticiæ
est avaricia) detestetur ut infernales furias. Universæ
enim virtutis usus justicia existimat, quæ tanquam
margarita in auro in regibus & regum filiis lucere de-
bet.

Huic justiciæ sicut soli beneficentiam Lunæ instar
adjungo, quæ vel ipsa complexa est omnes virtutes, vel
ex omnibus quasi regina una emersit & conflata est. Il-
lo namq; Rege nihil est divinus, prorsusq; cælestè bo-
num is, qui cum in manu omnia sive maxima quæq; te-
net bonitate ac beneficentia. Egregiè Antisthenes olim
literis prodidit, se nullum instantis ruinæ principatus
aut reipub: certius signum observasse, quam si nullum
sit bonorum & malorum discrimin, id est, ubi non &
virtuti præmia & pænæ scelerosis decernantur, Sicuti
autem pænæ non nisi noxios invadunt: ita beneficia,
munera & dignitates atq; donationes non conferendæ
sunt in quosuis sive indignos: quod imputatum apud
Xiphilinum Macrino, qui in tribuendis honoribus
& magistratibus notatus fuit, quod indignis daret.
Non ergo beneficiis afficiendi sunt, qui vel quotidie in
vino sunt, vel otio diffluunt, sicut multi tempus parvi
æstimant,